OPTIMO,
MAXIMOQVE VIRO,

IN CUJUS ARMORUM, AC LITTERARUM clypeo mirabilem Sapientiæ, atque Nobilitatis *Hermathenam* vetustissimi mirarentur Græci; siquidem Martis, siquidem Mercurii omnium obversaretur oculis simulacrum illo præstantius, quod Palladis signo, artificio celebri, sic celebrabatur implicatum, ut unum appareret ex utroque conflatum: tam salutaris est enim suæ Reipublicæ Princeps, ut quemadmodum à Plutarcho dictum est, sit *vivum quoddam Dei simulacrum.*

CELSIORI ATHLANTI, IN CUJUS VALIDISSIMIS humeris, Jovi dante Hispano, Bæticæ sistit honos, atque quiescit onus, non tam unius Vrbis, quam penè totius orbis.

DELPHICO APOLLINI, E CUJUS SACRO MUSEO omnes illæ novem promanavere scientiæ, omnes tres illæ promanavere gratiæ; qui vigil Pastor in Hispalensi Delos melioris Admeti, & compescuit aves, & compascuit oves; cujus alteris lanceæ rectitudine, alteris Cytharæ dulcedine, cælesti quadam providentia, & virtutes benignissimè foventur, & vitia severissimè vindicantur: in ejus etenim corde Astræa, & Nemesis, quæ hucusque memorabantur dissonæ, jam jam concelebrantur consonæ: Nam in ejus dulcibus, rectisque præcordiis ; *justitia, & pax osculatæ sunt.*

SED QUIS ISTARUM LAUDUM DIGNISSIMUS HEROS?

DIGNISSIMUS ILLE, QUI PONTIFICIS MUNERIS HONORE SIT AUCTUS.

ECCLESIÆ FULTOR, LAUS REGNI, PASTOR EGENTUM, CURA SACERDOTUM, PROMPTUS AD OMNE BONUM.

EXCELLENTISSIMUS, INQUAM,

D. D. LUDOVICUS DE SALZEDO, ET AZCONA,

CALATRAVENSI FULGORE INSIGNITUS, in Majori D. Bartholomæi perantiquo Salmantino Collegio Toga decoratus Alumnus; Hiſpalenſis, Granatenſiſque ſtratis Conſiliarius; Caurienſis deinde Mitræ fungens dignitate; poſteà Compoſtellanæ Diœceſeos Archipræſul meritiſsimus. Denique in faſtigio Eccleſiæ poſitus Hiſpaniæ (ut verbis Eccleſiæ utamur) in Almo Hiſpalenſi Templo regimine conſtitutus.

HUIC ERGO EXCELLENTISSIMO ANTISTITI hæc Clericorum Regularium Minorum Bœtica Noſtra Provincia pro comitiis Provincialibus congregata, hos odoratiſsimos Flores ex admirabili Angelici Doctoris ſui D. Thomæ Aquinatis Theologico Viridario collectos, majori, qua poteſt, veneratione D. O. S.

PRIMUM ASSERTUM.

Dari Angelos, & non eſſe pure quoſdam animi motus, vel immiſſas à Deo cogitationes, (ut Sadducæi ſomniarunt) Sacra Scriptura teſtatur, & Fides Catholica docet; ſicuti & quod ab æterno non fuerunt, ſed in tempore creati. An autem ante mundi corporei conſtitutionem, vel ſimul cum illo? dubitatur inter Latinos, & Græcos; ſed probabilius eſt nobis: Angelos ſimul cum mundo corporeo in ipſius conditionis initio, ſive prima die creationis fuiſſe creatos. De loco autem *ubi* creati fuerint, variè opinantur Doctores, (cum hoc in ſacra pagina expreſsè non inveniatur) cæterùm Magiſt. Aug. quem ejus diſcipuli ex corde ſequuntur, Cœlum Empyreum pro loco eorum creationi deſignat.

SECUNDUM ASSERTUM.

AN Angeli sint corporei non levis est inquisitio; aliqui antiqui dixerunt: corporeos esse: sed falluntur: quia omnino materiæ sunt expertes, non solum corporeæ (ut inquit Subtilis Schola) sed etiam Spiritualis, ut Thomistica docet; & ideo nec sunt, nec esse possunt plures in eadem specie athoma, & solo numero discreti, licet de facto sint plures specificè distincti. Sunt ab intrinseco, & ex natura sua incorruptibiles, licet à Deo de sua potentia absoluta anihilabiles. Sunt in suo dictamine ita inflexibiles, ut *cui* semel plenè adheserunt, in æternum adhæreant. Sunt multô plures, quam homines, & numerum specierum materialialium longè superant.

* * * * * * * *

TERTIUM ASSERTUM.

QUod Angeli non ſint in loco ratione quantitatis molis, indubitantèr tenemus, ut pote carentes illa. Quæ verò ſit in illis ratio formalis proximè, & immediatè cauſans ubicationem in loco, quæritur à Theologis, aliis aſſirmantibus, eſſe ſubſtantiam ipſorum ratione ſui, aliis aſſerentibus, eſſe quendam modum unionis pro priori ad propias operationes ipſorum; nos verò cùm N. Ang. M. conſtanſter (Veſpere) defendimus *rationem formalem cauſalitèr taibuentem proximè, & immediatè Angelo eſſe in loco connaturali, eſſe liberam operationem ipſius formalitèr immanentem, & ſolùm, virtualitèr tranſeuntem.*

QUARTUM ASSERTUM.

ANgelum non posse esse naturalitèr in duplici loco suæ virtuti adæquato; bene verò de potentia Dei absoluta, cum N. Ang. M. tenemus. Posse tamen esse in pluribus in adæquatis intra sphæram suæ activitatis contentis, quamtumvis distantibus, & etiam quin sit in medio, cum ipsó affirmamus. Et quamvis Angelus sit inextensus in loco extenso esse potest. Posunt Angeli moveri localitèr per se, & per accidens; motus quippe localis, quo per se moventur de uno in alterum locum consistit in diversis contactibus quantitatis virtutis, quibus sine intermedia quiete tangunt succesisive corpora diversa; sive in diversis operationibus suæ virtutis circa diversa loca; per accidens verô moventur ad motum corporis, quod localiter tangunt.

Defensabuntur à P. JOSEPH MOYA *in nostro Spiritus Sancti Domo sub præsidio P. JOANNIS DE VRRETA Lectoris Jubilati, & Asistentis Provintialis. Die 15. Septembris anni Domini 1732.*

